

SCRIPTA

Numéro Scripta : 5595

Auteur(s) : Simon III de Montfort, Évreux (comte)

Bénéficiaire(s) : Saint-Évroult-Notre-Dame-du-Bois, Notre-Dame (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : [1140-1181]

Action juridique : donation

Langue du texte : latin

Analyse

Simon, comte d'Évreux, donne aux moines de Saint-Évroult le monastère Saint-Martin fondé dans son château de Noyon[-sur-Andelle] avec toute dotation qui appartient auquel monastère.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Delisle Léopold, Passy Louis, *Mémoires et notes de M. Auguste Le Prévost pour servir à l'histoire du département de l'Eure*, Évreux, Hérissé, 1862, t. 1, p. 495-496.

Dissertation critique

Simon III de Monfort, comte d'Évreux, 1140-1181.

Noio : Noyon-sur-Andelle, nom de la commune de Charleval jusqu'au règne de Charles IX.

Texte établi d'après a

In nomine Sancte Trinitatis. Ego Simon, comes Ebroicensis, monasterium in castro meo de Noione, ad honorem beate Virginis Marie ac sancti Martini fundatum, monachis Sancti Ebrulfi ibidem Deo servientibus in proprietate a predecessibus meis concessum, donatum ac confirmatum, cum omnibus pertinentiis suis, dignum duxi in perpetuum concedere et confirmare. Ut ergo misericors Dominus mihi et parentibus meis et Willelmo comiti et Helvise comitisse salutem misericorditer conferat sempiternam, jam dictum monasterium cum universis pertinentiis suis a predecessoribus datis et concessis Deo, et eisdem monachis, et in terris et in hominibus in terris ipsorum monachorum manentibus, et in aliis quibuslibet redditibus, dono et concedo et presenti carta mea confirmo in perpetuum et ab omni terreno servitio, talliis, auxiliis, relevamentis, et quibuslibet exactionibus et districtionibus liberam et quietam elemosinam ; ita scilicet quod ego et successoros mei in perpetuum contra dictos monachos et homines in terris eorum manentes ab omni terreno servitio tenemur deffendere et garantizare ; in quibus hec propriis necessarium duxi exprimenda vocabulis : ex donatione avi mei Willelmi comitis et Helvise comitisse ecclesiam Sancti Martini in proprio feodo sitam, et totam terram quam habebant in dominio suo circa illud monasterium usque ad Chesneium, et de Chesneio quicquid erat in dominio suo, terra plana et nemorosa usque ad boscum regium, campum de Molendino Moberti et pratum et terram usque ad nemus, pratum Burnenc et quicquid ibi circa habebant ; pratum quod est ultra Pontem Andele, aquam vero a ponte Dalisum et quicquid habent in ea usque ad terram Sancti Audoeni ; viridarium quoque Gomundi et quicquid juris et domini habebant in ecclesia Sancti Dionisii, videlicet consuetudines episcopales et cantariam, et servitium illorum hominum qui comiti de ea serviebant, et Hilduinum solum, et quicquid de ipso comite tenebat ; servitium Balduini de feodo suo, et quicquid habebant in dominio suo in Tuito Forensi, sive planum sive nemorosum, terram de Augusto Tuitto,

et quicquid Radulfus Mauderes ibi habebat, ipso Radulpho concedente et exinde mutuo unam vaccam et campum Sutorum obtinente. Dederunt etiam supradicti comes et comitissa et ego confirmo omnes decimas nemoris sui quod dicitur Haia Comitissae, videlicet venationis, exartorum, pasnagii et venditionis, et omnium proventuum ejus, et porcinos monachorum quotquot habere poterint ad proprios usus domus sue necessarios quietos a pasnagio, et herbagium omnibus pecudibus suis sine contradictione. Preter hec confirmo eis in eadem Haia mortuum boscum ad focum et ad alia necessaria sua sine liberatione, vivum vero boscum quantum necesse habebunt monachi per liberationem ad monasterium et molendinum et ad domos suas edificandas et ad alia omnia necessaria, et quandam fagum ad electionem suam ad Nativitatem Domini. Dedit quoque idem comes in eadem villa decimam molendini, thelonei, censuum, pratorum et omnium reddituum in plano et nemore, et preter hec quadraginta solidos in theloneo ad luminaria ecclesie ; preter hec omnia dedit eis totam terram suam in Anglia quam dederat ei rex Willelmus qui Angliam conquisivit, videlicet ecclesiam de Henrbet cum pertinentiis ejus et quicquid habebat in eadem villa ; quicquid habebat in Borchilleberia ; quicquid habebat in Siffleth et in Grafetona et in Bochelanda et in Bibleria ; apud Aldintonam unam hildam terre ; et quicquid habebat in Baldintonam et in Chilbeherth et in Mildeconba ; et unam hildam terre in Molintona ; et quicquid habebat in Bodicota et Bocota et Colecota, Donetrop et Senenella ; apud Pessemere unam hildam terre. Dedit quoque decimam terre sue quam rex Henricus dederat ei in Anglia, scilicet de Brefort et de Teodeorda et maneriis illi pertinentibus ; in Hanneia quicquid habebat de dono Willelmi regis ; item in Normannia apud Dowrenc decem modios bladi, quinque frumenti et quinque annone, in molendinis suis, et terram ad unam carrucam, et quandam ortum Boveriis ad manendum ; in Rothom. propriam domum suam ; in Garavilla domum unam cum pertinentiis solutam et quietam ; in theloneo Baventi viginti libras currentis monete, et burgensem unum, Ansgotum nomine, cum duabus domibus suis et toto tenemento suo ; in maresco Garaville redditus decime salinarum, et medietatem totius decime de omnibus terris. Hec omnia suprascripta, tam in Normannia quam in Anglia, dedit supradictus comes avus meus Deo et Sancto Martino de Noione et monachis ejusdem loci, ita libera et quieta quod nullum inde servitium nisi soli Deo facere tenerentur, nec homines in terris ipsorum manentes, nec auxilium, nec tallagium, nec relevamentum, nec consuetudines, neque aliquas exactiones. Item, apud Ebroicas domum unam solutam et quietam, exceptis consuetudinibus comitis de Mellent, et unum furnum in opido civitatis, ejus minister quietus erit ; et in foresta comitis mortuum boscum ad opera furni et vivum ad domum furni faciendam ; apud Albam Viam, de redditu ejusdem ville, quadraginta solidos et duos modios de bres, propter quos monachi habent sexaginta minas avene ; apud Sanctam Mariam de Novo Castello, unum burgensem solutum et quietum, qui reddit annuatim unum modium vini. Apud Gaceium, scilicet in theloneo, sexaginta solidos annuatim currentis monete et unum furnum et furnarium in domo furni manentem, solutum et quietum, et unum burgensem, et culturam de Manento cum hospitibus in ea manentibus, et masuras Garini Garbe, et Willelmi Chamol, et Rogerii Ermentru. Apud Collimer manerium quod dicitur Diabolaria, et unum molendinum et terram que juxta est, et tres bordarios et tres acras prati, et terram Mainfredi portarii, et Herbertum Charlenent, et pratum Helene cum decimis et aliis pertinentiis, et decimam de feodo Fangeie. Apud Longam Villam, dedit idem comes, in obitu Helvise comitissae, decem modios vini de modiatione sua ad missas celebrandas, et partem terre Odonis de Cortona, de feodo Christiani, quam in dominio suo retinuerat. Concessit autem idem comes Willelmus ut quicquid homines sui dare aut vendere vellent supradictis monachis libere et quiete darent vel venderent, ita quod non amitteret servitium suum. Hec universa, sicut data sunt et concessa a predicto comite et comitissa, et sicut idem monachi mei melius et liberius ea tenuerunt, ego Symon, Ebroicensis comes, Deo et monachis Sancti Ebrulfi apud Nogion manentibus dono et concedo et litteris et sigillo meo proprio et testibus in perpetuum confirmo. De proprio enim dono meo confirmo eis terram que est inter terram ipsorum monachorum, et terram infirmorum de Nogione, et feodum Radulfi Pulchri Colli, quod ipse coram me donavit, salvo jure meo. Et preter hec dono et concedo predictis monachis totam parrochiam ville mee quam edificavi prope forestam meam de Caudebec, ita scilicet sicut vadit vallis de Bonetuit usque ad terram Gisleberti Clerici de Bernartmara et usque ad parrochiam de Willecherio, duas partes decime predicte parrochie, scilicet Sancti Arnulphi, habent sanctimoniales Ebroicenses. Supradicti vero monachi habebunt omnes exitus alios parrochie, ecclesiam videlicet totam liberam et quietam cum oblationibus suis, et presentationem ipsius ecclesie, et partem tertiam decime prefate. Donavi etiam eisdem monachis decimam molendini mei de Sancta Guertrude. Has omnes donationes et hanc nostram confirmationem concesserunt ambo filii, Almaricus scilicet et Symon, et testes hujus confirmationis fuerunt. Testes : Hugo de Blachepuit ; Fulco, capellanus ; Alexander de Autoil ; Hamericus de Boisseria.